

§. 3. Quod autem Deus a creaturis rationalibus sit *colendus*, fuit ex *justo ejus in homines imperio*, vi cuius Deus sui neglectum permittere nequit juxta *Sect. II. c. XV. §. 2. n. 1.* Ad illum autem Dei cultum nos propriae felicitatis amor impellere debet, cum impossibile sit, obtinere *felicitatem perennem*, nisi S. Deum habeamus faventem.

§. 4. Ut autem scias, in quo consistat modus Deum colendi ejusque favorem nobis conciliandi, observa, quod ratio colendi Deum desumenda sit *ex relatione & respectu, quem homines ad Deum ejusque attributa habent*, prout sequentia capita pluribus demonstrant.

§. 5. Ex dicto fundamento cultum Dei distinguimus in

I. *Internum*, qui actionibus immanentibus peragitur, & continet sequentes pietatis regulas.

1. *Deum esse amandum.*
2. *Deo esse obtemperandum.*
3. *Deum esse venerandum.*
4. *Deum esse reverenter habendum.*
5. *Deo esse credendum.*
6. *Deo esse confidendum.*

II. *Externum*, qui actionibus transeuntibus peragitur, continetque sequentes pietatis regulas.

1. *Deum esse invocandum.*
2. *Deum esse celebrandum.*
3. *Deo esse gratias agendas.*

§. 6.